



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.8. Praedestinatio ad gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

nere, de familiâ, de sanguine tuo ; tu fortè
 perditissimus omnium, perditionis à massâ
 segregatus unus. O donum super omne do-
 num! Egône? tot inter ignominia vasa vas in
 honorem? quo merito? nullo. Cujus bene-
 ficio? Dei. Amor inchoavit, amor perfecit,
 amor ubique & amor ubique & amor sem-
 per ; & nunquam amo, & nusquam amo:
 cumque in physicis invicem respondeant
 ista duo sibi, *actio & passio* ; hîc pro novo
 monstro passivum est æternum, activum no-
 momentaneum quidem. Et unde hæc tibi
 sterilitas tanta, cor infelix? proverbium est,
 si vis amari, ama. Ecce amor in te Dei anti-
 quus dierum jam est in canis, & tuus non-
 dum in cunis. unde hoc?

§. 8. *Prædestinatio ad gratiam.*

Scopum attigisti : nunc ad eum conse-
 quendum tela, nunc *tela* ordire PRÆDE-
 STINATIONIS, *funiculum hereditatis tue*,
 de gratiâ gratiam, & quantam, ô Superi,
 quâmplicem! hîc prima fides, pri-
 mûmque Dei donum: *datur enim sine me-
 rito unicuique, unde tendat ad meritum.*
 (*Ambros.*) Hîc indoles, educatio, anima bo-
 na, & ipsa forte, hoc est, voluntate Dei do-
 noque accepta, *Quia voluit, non quia digni*

sumus; *hac est fors.* (*Augustin.*) Hic amantissima nostri Mater Dei, *peccatorum*, ut vocant Patres, *esca*; seu *hamus Dei*, & ut Augustinus, *muscipula per quam salvatur omnis creatura*. Hic Angeli, quibus mandavit de te, *ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Angeli, inquam, & de cælo præpetes, tum à Deo ad nos, tum à nobis ad Deum ultro citroque commeantes indefesso labore; & de terrâ vigiles, Apostoli, nuntii, *cursores magni Regis*: nimirum parentes, magistri, prælati; quorum hoc unum omnium negotium est, salus tua. Hic non Paulus solùm omnibus omnia factus; sed ipse etiam Christus, *ventor*, ut Clemens appellat, *animarum*. Ille ad Samaritanæ pedes aridis sitiens faucibus, & anhelus, & precans, & procans, *noctium etiam guttis & calidore perfusus*, quoties ad amicæ dico animæ tuæ, fores inclamat? *Aperi mihi, soror mea!* Quantis, inquam, clamoribus agit intus & foris? modò sævus, modò blandiens, semperque misericors & sævus & blandiens. Quot modis invadit? quot mediis? quot minis? Nosti vias. Vocem ejus audisti per *cancellos*; & quoties? non lacrymis, non suspiriis, non sanguini parcit suo: denique omnia sese mutat amor in mi-

racula rerum, hospes, inquilinus, hortulanus, philosophus, rhetor, ARGUS simul & PROTEUS tibi. Nec destitit unquam, donec errantem ovem gremio referret & Patris, & suo: observans mollia fandi tempora, & locum, & opportunitatem, sic, ut voluntati gratia congrueret, gratiæque voluntas, nullo interim libertatis tuæ detrimento, *fortiter & suaviter*. Quid plura? hoc unum omnibus retro sæculis egit; *hæc summa voluntas tua*, (Tertullian.) hic cardo cæli & terræ, hic apex felicitatis ejus, hic apud Angelos triumphus: & cum *nemo aliorum sensu miser sit*, (Salvian.) solâ tamen ille Deus felicitate tuâ felix est. O vim amoris inexcogitabilem! ubi sum? quid, cui clamo? Ille si interrogetur; *Quare sic attenuaris macie filii Regis, per singulos dies?* (2. Reg. 13.) non aliud respondebit, nisi illud unum, AMO. Ego si roger causam morbi mei, quam possum afferre tandem, nisi hanc unam? NON AMO. Itaque nos comparat pœna, separat causa. Laboramus uterque; sed ille amoris excessu, ego defectu. Et ille quidem irascitur, obsistit, que morbo meo quantum potest; ego medico meo etiam ultra vires. O anima mea, quam diu, & quo fructu! Si tibi non placet

ut medicus; placeat ut ægrotus. Febrim febris curet, defectum excessus, æstusque languorem. Nam contrariis contraria curantur. Denique si convalescere ex integro non potes, muta morbum, AMA.

Summa secunda Partis.

Quin age collige mecum omnia. Beneficiarius es Dei à capite ad calcem, à fine ad finem, hoc est, ab extremis inferis ad supremum usque cæli verticem. 1. Creatione. 2. Conservatione. 3. Fine. 4. Redemptione. 5. Justificatione. 6. Eucharistiâ. 7. Prædestinatione tum ad gloriam. 8. Tum ad gratiam. Nihil excepit, nihil negavit.

Jam si lex ea sit, ut sæpè diximus, in reddendâ gratiarum actione, ut quò plus acceperis, plus etiam exigaris: [crescentibus enim donis, crescit & acceptorum ratio; *intra pecuniam*, ut aiebat Seneca, *fit taxatio.*] enim verò quàm immensum æs alienum alienum apud Deum contraxeris, quot ei nominibus obstrictus evaseris; opinor ex antè dictis intelligis, aut saltèm conjicis. Ille te ipsum, ille seipsum, totum utrumque, totum tibi, totum sibi dedit, initio & fine, destinatione & prædestinatione, creando, conservando, redimendo, infinitis modis, & infinitis